



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Idyllion de Wasserburgo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

His ex me placido si dixeris ore salutem,  
Exime gratum feceris ipse mihi.

*Idyllion de VVasserburgo.*

Est locus, Acronii sed dextro in littore Ponti,  
Dicitur ab immensa undarum ipsa mole & abyfso  
Voce Hydropyrgon Græca castrum undique fractum  
Hugonis Comitæ de forti Montæ, Moreæ  
Principis ac Domini in Tetrnango, & ad inclyta Rupis  
Ruffæ castra & in Argoviana principis arce.  
Castrum inquam vastatum olim cum divite pago  
Nonnarum prope cornu, circumquaque Lyæo  
Vestitum: poterat magis apta dicere voce  
Bachipyrgon, ita est locus undique vitifer & tam  
Procreat omnino generosi munera vini.  
Temporibus prisca fuit hæc arx inclyta sedes  
Sacratæ Dominæ, quæ Dux, Regina parensque  
Virginei cætus erat ad Lindavica nostro  
Tempore (dum locus est mutatus) templa sedentis,  
Nam tum virgineus chorus hic habitabat eo ipso,  
Silvestri umbrosoque loco, Nonnhornia quo nunc  
Villa jacet: medius vel qui est pagum inter utrumque,  
Quorum alter Nonnarum cornu dicitur, alter  
Fertur earundem Germano nomine rivus.  
Ac cum sacra Domus tandem monialium in ipsum  
Vastum esset translata Lacu, in quo nunc quoque pulchre  
Cernitur esse sita, immenso circumdata Ponto:  
Contiguisque ornata & multis ædibus altis  
Turribus ac muro infestos arcentibus hostes:  
Tum fuit hæc arx cœnobii præstantibus ipsis  
Præfectis domus atque habitatio, & optima sedes,  
Donec eam Dominus quidam Kiselegkius emtam  
A Domina Abbatisa ad se pertraxit: is ipse  
Quingentis Marcis, elapsis pluribus annis,

Vendi-

*Bruckhij*

*Chronolog.*

*Monasterii*

*von Lindavica*

*S. IIII*

*Abbatissa  
Lindavien-  
sis.*

*Nunnen-  
horn.*

*Nunnen-  
bach.*

*In insulam  
Acronianam*

Vendidit Ulrico & Marquardo rurfus eandem,  
 Schellenbergensi prognatis gente vetusta:  
 Cum post mille annos quoque ducentefimus iret  
 Octogefimus & Christi de Virgine nati.  
 Hi lultris cum jam ter quinque atque infuper annis  
 Pene tribus sedem hac habuiffent nobili in arce  
 Pulchre illustrata atque aucta: tandem imbrifer annus  
 Venit fatalisque dies, Arcique Larique  
 Omnia fecum extrema ferens. Nam publicus hostis  
 Imperii qui vicinis erat urbibus, illic  
 Hospitio exceptus, populos incendit ad arma  
 Sumenda in gentem sævi istius hostis alumnam.  
 Convenere igitur, quas tota Suëvia Sacri  
 Imperii claras urbes habet, & numerofo  
 Milite collecto, invadunt & culmine ab alto  
 Totam dejiciunt arcem, quæ pluribus annis  
 Ornamentum ingens fuerat terræque lacusque.  
 Nunc arcis tantum vestigia pauca supersunt,  
 Disjecti muri, stansque alta in sidera turris  
 Quadrato è faxo superas educta sub auras,  
 Semi hodie lacera & tractura aliquando ruinam  
 Ingentem fecum. Sic destruit omnia tempus,  
 Quod nec marmoribus, nec faxis parcere novit.  
 Pagus adhuc pulcro cum templo & turre sub astra  
 Educta, vastatæ olim arci proximus adstat.  
 Ille ferax non est tantum agricolarum, & eorum,  
 Qui rura exercent, & vites ordine ponunt:  
 Sed doctorum etiam ingeniosorumque virorum,  
 Quos inter primas merito tenet atque tenebit  
 Hugonis Comitis de Forti Monte Machaon,  
 Janus Henerus in Acroniana Physicus urbe,  
 Vicina Philyren quam dixit arbore primus

XXX

*Hydropir-  
 gum vastat-  
 tur ab Im-  
 perii Comi-  
 tatibus an-  
 no 1297.*

*Doctor Jo-  
 annes He-  
 Condi-  
 nerus.*

Conditor. Hunc Phoebi sedes præclara Vienna  
 Excoluit juvenem, & Friburgum nobile, at ipsa  
 Doctorem Anglopolis fecit: Lindavia Civem  
 Accepit, circumfita tota provincia numen  
 Immortale velut colit & veneratur & ornat.  
 Proximus huic fuit olim junior ipse Rodolphus  
 Agricola, eximius vates, quem fronde decorum  
 Daphnæa fecit ter Maximus Aemilianus  
 Cæsar, & occiduis & Eois notus in oris.  
 Tertius est Janus, Velox cognomine dictus,  
 Ingenio nulli, nulli pietate secundus,  
 Eloquio præstans atque omnis cognitione  
 Historiæ clarus, tuus, ô Tettnangia, fidus  
 Præfectus, Comitum quin Consiliarius aulæ,  
 Omnibus egregiis pollens virtutibus heros.

*Rodolphus  
 Agricola  
 Junior  
 Poeta Lau-  
 reatus.  
 Joannes  
 Velocianus.*

*Epitaphion Annæ Mariæ & Euphrosynæ, filiarum  
 Joannis Danmülleri junioris P.*

Hic cubat Anna Maria, in Christo principe Coeli:  
 Nondum bima, soror parvulaque Euphrosyne.  
 Quas dulces natas ego Danmullerus Jannes  
 Junior amisi, morte adimente mihi.  
 At non amisi. Nam sunt nova numina Coeli  
 Factæ, atque Angelici pars preciosa chori.  
 Corpora sola sub hac requiescunt molliter urna:  
 Ora volant animæ principis ante sui.  
 Qui quondam mihi reddet eas sine fine videndas,  
 Quando erit in Coelis mansio læta mihi.

*De*